Q. D. B. V.

LECTORI BENEVOLO

S. P. D.

EVNDEMQVE

AD DISSERTATIONEM INAVGVRALEM MEDICAM

INVITAT

ORDINIS MEDICORVM

H. T. DECANVS

CHRIST. GODOFR. STENTZEL

ARTIS SALVTARIS ET PHILOSOPHIAE DOCTOR, CHIRVRGIAE PROFESSOR PVBLICVS ORDINARIVS, PATHOLOGIAE PROFESSOR SVBSTITVTVS.

RElegentur ad orcum anilia multorum de certis certo laeſae ac delibatae uirginitatis factaeque conceptionis ſignis, iam ex abdominis intumeſcentia, iam ex hymenis abſentia, modo ex lactis in mammis praeſentia, modo ex ſuppreſſo fluxu menſtruo, nunc ex lineis manuum, nunc ex uaria lotii conſtitutione deſumendis; haec enim omnia incerta, dubia atque inania partim, partim ab omnis ſanae conſenſu rationis aliena eſſe, innumerae paſſim apud auctores annotatae hiſtoriae docent ac confirmant. Si quod datur, integram uirginum pudicitiam illaeſamque earum innuens ac demonſtrans caſtitatem criterium, idem merito

cum AMMANNO, (a) a naturali partium genitalium anguſtia, & hanc primo coitu comitante ſanguinis profuſione deducendam eſſe judico. Sed hic probe obſeruare decet diſcrimen inter naturalem atque artificialem uaginae uterinae arctitudinem; Quid, ſi uirgines, uti legitur apud HESYCHIVM, (b) ἀγχουσίζουσιν, hoc eſt, radicis anchuſæ ſubſidio, τὴν κάλυκα καὶ τὴν κύλυκα, ſeu τὸ ἄνθος τὸ γυναικεῖον μήποτε ἐκπεσταθὶν mentiuntur? Quid, ſi eaedem, balneis aliisque remediis ex burſa paſtoris, marte, alumine, ſucco citri paratis, genitales partes frequentiori coitu nimis dilatatas, denuo coarctarunt? Etenim inexhauſta ſexus ſequioris malitia atque aſtutia exiſtit, iſteque mille ſtratagematibus inſtructiſſimus, etiam prudentiores fallit atque illudit. Atque haec in negotio conceptionis extra coniugium factae, quam quauis ratione occultare ſtudent, magis adhuc manifeſtatur; tum quippe abdomen fortiter comprimitur ac colligatur, ad illud, quod intus geritur, abſcondendum, ac ſi poſt incaſſum adhibita fortiora euacuantia, quæ abortiua uocantur, creſcentis indies foetus molem aduertunt, eo praefracta huiusmodi beſtiarum audacia ac pernicioſa ueſania procedit, ut nullae uereantur, & embryoni, & ſibi ipſis inferendo iniuriam, homicidium committere, & ſe quocunque modo, ab eo, quod gerunt, onere liberare. Huius farinæ fuit ancilla iſta, quæ teſte B. BRENDELIO, (c) ex compreſ-

ſu

(a) Irenico p. 129. & 130. concluſ. §. 1.
(b) In Lexico ſub uoce Anchuſa.
(c) Decade II. Obſeruat. Anatom. hiſtor VII. p. 23. & 24.

ſu grauida facta deteſtandum conſilium, ne conſti-tuta ignominia ac poena afficiatur, iniit, & ar-repto ſtylo acuto, eoque ferreo, illum per uaginam & ceruicem uteri, magno niſu, & acutiſſimis af-fecta doloribus aliquoties immiſit, quo ita irritauit ſtimulauitque uteri ceruicem, ut foetus tandem cum profuſiſſima uteri haemorrhagia eiectus fue-rit, cui deinceps uehementiſſima inflammatio cum intenſiſſima febri ſociata, ſumma uirium proſtratio, exquiſitiſſimi dolores, gangraena, ſphacelus, delirium, conuulſiones & tandem mors ſucceſſerunt. Fatendum certe eſt, hoc facinus ab humana prorſus abhorrere na-tura, atque efferata belluarum crudeliſſimarum im-manitate immanius apparere. Nam ſanitatem, quam diu uita haec noſtra durat, a Deo, tanquam ſummum inter terrena bonum, ac iucundiſſimum ſummi Nu-minis beneficium, ſupplices petimus; de eiusdem conſeruatione omnia animantia maxime ſollicita ſunt, nullumque inuenitur brutum in propria ſaeuiens uiſcera; foeminae uero perplures beſtiis atrociores, in hiſtoriarum monumentis notae occurrunt, quae, pro-priam non modo ſanitatem, τὴν τερπνοτάτην, uti loqui-tur ATHENAEVS, (d) Θεῶν θνητοῖς ὑγίειαν, frequentius inſti-tuta uenae ſectione, ſubtrahendo cum ſuccis uitalibus uires, acrium & draſticorum deglutitione emetico-rum, purgantium, ſic dictorum emmenagogorum, labefactarunt & penitus deſtruxerunt, ſed quae etiam, his omnibus fruſtra adhibitis, infantem, quem uiuum

(d) Lib. 10. & 15.

enixae fuerunt, iam ſuffocatione, iam largiore ſanguinis, cujus e funiculo umbilicali effluxum non cohibent, profuſione, aliisque peremerunt modis. His omnibus iam peractis, detecto licet facinore, manifeſto licet infanticidio, cauſa licet mortis in aprico poſita, conſtanter tamen negatur, foetum uiuum fuiſſe editum. Dum iudex in eruendis commiſſi infanticidii circumſtantiis eſt occupatus, uariae interea huiusmodi meretrici ſuppeditantur cautelae, admittitur ſic dictus cauſarum patronus, isque iam ad debilem corporis conſtitutionem ac morbum, quo grauida laboraſſe dicitur, iam ad graciliorem ac miſerum infantis habitum prouocans, foetum iam in utero ante partum, aut in partu, ſine ulla illi a matre illata ui aut iniuria, demortuum fuiſſe, euincere, ac meretricem a commiſſi ſuſpicione poenaque infanticidii liberare geſtit. His uero cauſarum patronus non acquieſcit, ſed antegreſſam uitae rationem, qua meretrix talis antea uſa fuit, encomiis ornat, idque annexis & undicaque conquiſitis teſtimoniis confirmare allaborat. Demum quoque, ſi hiſce technis finem ſuum aſſequi nequit, maleficae peſſima communicantur praecepta, amentiam, abſona loquendo & patrando, ſimulandi; accerſitur medicus ἀνόητος, mentem recti conſciam, tanquam rem pernicioſam, auerſans, cuius religio: *intus ut lubet, foris ut moris eſt*; iſte pluribus argumentis ſe teſtem ſiſtit, literaque ſcripta confirmat, meretricem illam ſanae uſu rationis deſtitui, melancholia hyſterica laborare. Hæc deinceps cauſarum patronus in ſuccum & ſanguinem con-

uer-

uertens atque exaggerans, non poena, ſed commiſeratione miſeram meretricem dignam eſſe, clamat, ſcribit, aliisque multorum coaceruatione argumentorum perſuadere geſtit; quicquid enim egerit malefica, urget, non conſulto aut cogitato, ſed furore abreptam, ex maxima animi perturbatione atque ignorantia, perfeciſſe. Rebus ita intricatis & confuſis, acta per inutiles cumulata lites & defenſiones, Scabinis, aut Juridicae Aſſeſſoribus Facultatis, atque ab illis iterum Ordini Medico eiusdem loci transmittuntur, ut hic, an uiuus fuerit poſt partum foetus, atque an malitioſe a matre interfectus, nec ne, indicet & demonſtret? illi uero, ut Medicorum rationibus ſuffulti, poenam meritis dignam dictitent. Si dicendum, quod rei ueritas & neceſſitas poſtulat, hiſtoria ſectionis ac deſcriptio laeſionum haud raro tam manca, mutila atque incompleta exiſtit, ut difficile, ne dicam, impoſſibile ſit, certum ex eadem concludendi momentum ac documentum eliciendi. Si uero omnes circumſtantiae probe examinatae, ad amuſſim deſcriptæ, commiſſi cauſam ſceleris ob oculos ponunt, ac reſponſum medicum rei naturae conueniens, a ſic dicti uero cauſarum patroni mente & deſiderio alienum datur, idem mox in promtu habet nouam defenſionem, cum annexo petito: ut actis aliorſum miſſis, alia Facultas medica de hac re ſuam ferat ſententiam. Contingit aliquando, praecipue, ſi tales ſint Profeſſores & Doctores, quales ab AMMANNO, (e) com-

(e) Irenico p. 7.

commemorantur, atque ἀπαίδευτοι ἄπειροι ἀνόητοι, μαι-νόμενοι, &c. dicuntur, ut, iidem derelicta ueritate, ſua praeiudicia ſtabilire ac confirmare omni annitantur ſtudio, contrarium priori formantes iudicium; tum Jure-Conſulti, non ex allatis rationibus, ſed Medicorum diſſenſu, fundamentum deciſionis deſumentes, ordinariam ac grauiorem poenam locum non habere, irrogando mitiorem, pronunciant. Sed melius & certius iudicaverim, ſi non tam Medicorum diſſenſum, quam rationes magis minusque fundatas in iudicando reſpicerent. Nec ſemper in culpa eſt diſſenſus medicorum, quis enim unquam, ex prudentibus ac ueris Medicis, foetum ſeptimi principio menſis natum, pro legitimo habuit? hanc tamen opinionem Jureconſulti fouent, proponunt, atque in partus fauorem, uti dicitur, defendunt. Verum, ſi in partus fauorem haec lex lata, non ille ſaltem, qui ſeptimi principio menſis, ſed quauis temporis periodo natus, pro legitimo habendus. Quemadmodum uero huius erroris origo non a medicis arceſſenda, ita non diffitendum, quod medicorum diſſenſus multarum calamitatum ſit ſeminarium. Praecipuam uero diſſenſus rationem tibi iam ex AMMANNO (f) ſuppeditavi, cui addendum, quod ſemper fuerint, & adhuc ſint, qui ex impudentiſſima empiricorum familia prodeuntes de nouis nouae artis fundamentis glorientur, atque aliis alia comminiſcentibus, non inter ſe ipſos modo maxime diſſentiant, de-

cer-

(f) Lib. cit. p. 5. 6. 7. & ſequ.

certent, ſed derelicta etiam rationali medicinam diſcendi atque exercendi methodo, in ſumma rerum medico ſcitu neceſſariarum, uerſentur ignorantia. Quod praecipue ex relationibus peractae ſectionis, & deſcriptis partium laeſarum uulneribus patet. Eadem quoque ſubeſt ratio, cur in una eademque re diiudicanda, u. g. conceptione, infanticidio, tot diſcrepantes opiniones proferant. Plures enim ignorant ſigna eſſentialia, eaque cum accidentalibus confundunt; nec deſunt, qui uno alteroue confiſi ſigno, idem quod particulare ſaltem, pro unuierſali habent. Multa iam de hac materia rite enodanda atque ad uſum medicinae forenſis applicanda, commemorare fas atque aequum eſſet, ſed temporis & paginarum inopia excluſus, hic filum abrumpere teneor, & hoc eo paratiori perago animo, quo magis mihi in hac re praeſentis *Domini Candidati* induſtria otium fecit, cuius curriculum uitae ab ipſo deſcriptum, hic Tibi B. L. exhibeo.

Ego

JOH. AVGVST SVSSEMILCH,

Inter octo fratres germanos natu tertius, in hanc editus ſum lucem COSVIGAE, *oppido Principatus Anhaltini ſatis noto, die XXV. Maji, A. S. MDCCXII. Matre SOPHIA ELEONORA MARGARETHA, uiri quondam nobiliſſimi* HöRNIGKII, *Cosvigenſis praefecturae Adminiſtratoris filia, Anno MDCCXXIV. die VIII. Mart. proh dolor! beate mortua. Patrem, quem in ſeros usque annos conſeruet Numen clementiſſimum, ueneror* virum ampliſſimum Dom. *IO.*

)( )(

CARO-

CAROLVM SVSSEMILCH, *Auſpiciis* SERENISSIMI *ASCANIORVM PRINCIPIS*, Circuli Coſvigenſis præfectum, & uectigalium aliorumque cenſuum Commiſſarium. *Horum optumorum Parentum prima & praecipua cura fuit, ut non ſolum ſacro baptiſmatis fonte ablutus, chriſto traderer, ſed etiam poſtea litterarum rudimenta addiſcerem, atque in pietate non minus, quam optimis quibusque artibus ac ſcientiis erudirer. Ideoque nihil intermiſerunt, quod ad me erudiendum pertineret, & hunc in finem informationi Paedagogorum tradiderunt, inter quos merito laudo Dom. M. MARCI, nunc Paſtorem Mühlſtadienſem, & Dom. GODOFRED. GEBHARDVM, iam Freibergenſis Gymnaſii collegam quintum optime meritum, cui multum debeo; Eius enim dexteritate, ac diligentia, per Sexennium fere adhibita, ſatis inſtructus, Parens cariſſimus die XXX. Octobr. A. MDCCXXVI. Freibergam me miſit, ac curae & ſolertiae clariſſimorum Gymnaſii, quod ibi floret, Praeceptorum, commiſit. Per triennium fere, Doctiſſimi Viri, M. SAMVELIS MOLLERI,* Rectoris eius Gymnaſii meritiſſimi, & Con-Rectoris *SAMVELIS HASSII, iam beate defuncti, fideliſſimam expertus ſum informationem. Annuente uero Patre honoratiſſimo, die XVII. Iunii MDCCXXIX. habita oratione de ſtudio Botanices, Gymnaſio, Patronis & Amicis ualedixi, & in hanc me contuli Academiam celeberrimam. Die VII. Julii dicti anni, RECTORE T. T. MAGNIFICO DOM. GODOFREDO LVDOVICO MENCKEN, JCTO,* Potentiſſ. Polon. Regis atque Elect. Saxon. in ſummo prouocationum Senatu Conſiliario &c.

in-

inter ciues Academicos receptus fui. *Cum itaque a teneris fere me ſtudio medico dicaſſem, eidem me ſtatim applicaui, & praemiſſa Philoſophia, quam totam mihi tradidit* DOM. PROFESSOR HOLLMANNVS, *nunc nouae Academiae Göttingenſis Philoſophiae Profeſſor ordinarius, ductorem in re medica elegi*, uirum Excellentiſſimum, Dom. D. *ABRAHAMVM VATERVM*, Anatom. & Botanic. Profeſſ. Publ. ord. &c. Praeſidem meum ſingulariter colendum, *qui mihi omni dexteritate Phyſiologiam, Pathologiam, Semioticam, Materiam Medicam, Chymiam, Pharmaciam & Anatomiam explicauit, ac ſectiones cadauerum demonſtrauit. Viri huius celeberrimi lectionibus quoque Anatomicis & Botanicis, aliorumque* doctiſſimorum Medicinae Profeſſorum *lectionibus publicis interfui; ac praeterea* B. D. VATERI Conſiliarii & Archiatri Anhaltini, *Collegium phyſices experimentalis & laboratorium chymicum frequentaui. Anno MDCCXXXI. ſors mihi contigit innoteſcere* Viro Perilluſtri, Nobili Dom. DE BERGER, Potentiſſ. Polon. Regis & El. Saxon. Conſiliario & Archiatro, Profeſſori medicinae Primario & totius Academiae Seniori, Patrono meo aeternum ſuſpiciendo, *& ad hoc usque tempus, ab Eius ore doctiſſimo pendere. Summa induſtria & fidelitate, totam mihi tradidit Praxin Medicam, Chymiam aliasque partes medicinae, de qua* Perilluſtris *huius* Viri, Academiae & totius orbis literati ornamenti, *doctrina, quam ualde mihi gratuler, dici haud poteſt; quam cum ſatis admirari impar ſim, hanc maximam uitae meae aeſtimabo felicitatem*, Perilluſtris Dom. DE BERGER *fuiſſe diſcipulum, Eumque ad cineres uenerabor.*

Haec

Haec ſunt, quae ipſe *Dominus Candidatus* de uitae ſuæ tenus hac optime geſtae ratione annotata ſuppeditauit. Idem uero, cum iam in eo ſit occupatus, ut honores Candidati, quos die 1. Martii praeteriti anni cum laude & communi Ordinis noſtri ſuffragio obtinuit, Doctoris augeat dignitate, die XIX. Aprilis *Praeſide Dn. Dr.* ABRAHAMO VATERO, *Anatomiae & Botanices Profeſſore Publico*, Ruyſchio Rediuiuo, Cathedram aſcendet, pro ſummis in Arte Salutari honoribus & priuilegiis diſputaturus. Pro Veſtro igitur in Muſas fauore, beneuolentia & Gratia, hoc *Rector Academiae Magnifice, Illuſtriſſime Comes, Perilluſtres Liberi Barones, Patres Academiae Conſcripti, Omnium Facultatum Doctores & Licentiati, Sacrorum Antiſtites, & liberalium Artium ac Scientiarum Cultores ac Fautores*, Noſtri *Candidati* honori dabitis, ut Veſtra confluentes praeſentia, hunc Actum Inauguralem ſplendidiorem atque illuſtriorem reddatis. Dabam Vitembergae e Muſeo die XIV. Aprilis CIↃIↃCCXXXV.

VITENBERGAE LITTERIS SCHLOMACHIANIS.